

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4728

Auteur(s) : Philippe II Auguste, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1215

Lieu d'émission : Pont-de-l'Arche

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Transaction entre l'abbaye de Saint-Ouen et celle de Bonport pour le moulin de Poses et les dîmes du clos de Léry.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° XLVII, p. 49-50.

Texte établi d'après a

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen.

Philippus, Dei gratia, Francorum rex.

Noverint universi, presentes pariter et futuri, quod, cum quedam contentio verteretur inter abbatem et conventum Sancti Audoeni Rothomagensis, ex una parte, et abbatem et conventum Boni Portus, Cisterciensis ordinis, ex alia, super molendino de Posis et decimis de clauso de Lereio, et quibusdam expensis quas predicti abbas et conventus Sancti Audoeni, occasione hujus contentionis, fecerant, tandem, bonorum virorum consilio, de utriusque partis assensu, quievit illa contentio tali modo : videlicet, quod predicti abbas et monachi Boni Portus de cetero tenebunt et possidebunt libere et quiete predictum molendinum de Posis cum pertinenciis suis et prefatas decimas apud Lereium, ita quod propter hoc dicti abbas et monachi Boni Portus reddent inde prefatis abbati et monachis Sancti Audoeni annuatim sexaginta solidos usualis monete in Rothomago, scilicet triginta infra octabas Sancti Remigii et reliquos triginta solidos infra octabas nativitatis Sancti Johannis Baptiste. Predicti siquidem abbas et monachi Boni Portus sponte subdiderunt se nobis in hac parte, et firmiter concesserunt quod, si ipsi vel eorum successores supradictis abbati et conventui Sancti Audoeni dictos sexaginta solidos, statutis terminis, non persolverent, nos, vel ballivus noster, abbati et monachis Sancti Audoeni dictum molendinum de Posis traderemus tamdiu tenendum donec redditum sexaginta solidorum integre haberent. Sciendum est preterea quod predicti abbas et monachi Sancti Audoeni quieti erunt et absoluti de omni servicio et redditu, quod pro predictis decimis de clauso de Lereio facere vel reddere solebant. Ut autem prenotata compositio perpetuam obtineat stabilitatem, nos, ad petitionem parcium, presentem cartam, sigilli nostri auctoritate et regii nominis karactere inferius annotato, confirmamus.

Actum apud Pontem Arche, anno dominice Incarnationis millesimo ducesimo sexto decimo, regni vero nostri tricesimo septimo.

Astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt et signa : Dapifero nullo ; signum Guidonis, buticularii ; signum Bartholomei, camerarii ; signum Droconis, constabularii.

Data vacante [place du monogramme] cancellaria.